



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

VIII. Gratiae Academicae juventutis nomine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

## C A P U T V I I I

*Gratie Academicae juventutis nomine.*

**Q**uid verò, Princeps Illustrissime, huic florentissimæ  
 juventuti hodie animi credis esse? quantis incedere  
 lætitiis? quàm faustis te precationibus profèqui? Pa-  
 lam enim iis litteris, quibus hodiernæ celebritati diem dixisti,  
 professus es, eorum præcipuè te utilitati in instituenda Acade-  
 mia consulere voluisse. Ubi illud etiam pronuncias: Spem  
 omnem instaurandæ, atque ad pristinum decus revocandæ  
 Reip. hoc quidem tempore in recta tenerioris ætatis educa-  
 tione positam esse. Quod tamen aliorum quoque sapien-  
 tum hominum sit iudicium, putant sibi tamen in quodam  
 eximii honoris loco ducendum, quòd à tam laudato Princi-  
 pe tanti fiunt, ut redintegratio salutis, ac dignitatis publicæ,  
 ab se potissimùm expectetur. Quod si dictum duntaxat abs  
 te esset, deberet sanè cujuslibet quamvis remissi ac desidis ado-  
 lescentis animum ad teneram suam ætatem, omnibus, quibus  
 optas, bonis artibus excolendam permovere. Jam verò post-  
 quam perpetuâ triginta annorum liberalitate, & curâ id ege-  
 ris, ut juventutis studia inflammares, atque adjuvares, qui his  
 non movebitur eum meritò lapidem habendum arbitrantur.  
 Hodiernus sanè dies satis ostendit, quàm sint cùm præteritis  
 tuis meritis, tum hujus Academiæ fundatione ad omne lauda-  
 bilium studiorum decus erecti. Quanquam enim ingenuè  
 confitentur nihil se dignum hâc tuâ Celsitudine, nihil tuis vir-  
 tutibus, nihil tot beneficiis præstare posse, tamen non ignari  
 ab arbore, quam nunc primum plantaveris, ante flores esse re-  
 petiturum quàm fructus; atque ad eò voluptatem, quam olim  
 fructus sunt allaturi, jam ex ipsis floribus præcepturum; con-  
 fidunt fore, ut sua studia, quamvis tenuia, & quasi immatura,  
 jucunda tibi accidant. Certè parietes, nisi quid me fallit, omni  
 versuum genere convestiti: arcus, atque emblemata plena  
 ingenii: scenæ apparatus: Astronomicæ concertationes à no-  
 bilissi-

Plinius  
Lib. 18.  
cap. 6.

bilissimis adolescentibus, & Mathematicarum disciplinarum  
amantissimis susceptum: Theses de Philosophia naturali pro-  
positæ, aliaque de eodem genere, illustria quædam emolu-  
menta brevi hanc Academiam allaturam esse Reipub. polli-  
centur. Atque utinam fieri possent, ut dum stabit, perpe-  
tuò te salvo & incolumi frui possent. Sanè experiremur ve-  
rum esse, quod ab agricolis dicitur: *Fertilissimum in agro es-  
se oculum domini.* Nunc, quod proximum est, vota assi-  
duò faciemus, ut DEUS immortalis maxima, atque uber-  
rima apud cælestes tuis beneficiis præmia jam nunc compa-  
ret, sed quo diutius cùm Ecclesiæ, tum huic novellæ Acade-  
miæ prosis, serò te ad ea fruenda discedere patiatur. Apud  
posterios verò tuam vicem obiit hæc tua effigies in Gymnasia  
„atrio posita, cui ascribi voluisti: Te affectu, zeloque boni pu-  
„blici quæ Religione, quæ Sapientiâ procurandi, propagan-  
„dique, Religioni quidem Templum, Sapientiæ verò Gy-  
„mnasium Academicum, Collegium porrò Patribus Societa-  
„tis JESU tanquam fides utriusque thesauri dispensatoribus  
æternùm consecrassent. Ex quo cùm ea quæ nunc in Gymna-  
sio litteris operatur, tum ea, uti confido, quæ post futura  
est juvenus intelliget: si hanc Academiam florentem vide-  
re, si tuæ optimæ voluntati obsequi, si beneficiis gratam gra-  
tiam referre volet, nunquam ab officiis religionis ac pietatis,  
nunquam à doctrinarum studiis, nunquam ab obse-  
quo majorum esse disce-  
dendum.

F I N I S.

Re-